

obliviosus, qui neglexerim Ἀμεινῶν (193) Ἀνὰ δ' ἐβόασ' ὁ λέως (531) et Εἰκοῦς (1179): præsertim cum glossam ultimam meminisse debueram a Valckenaerio dudum Troasin adjudicatam fuisse*.

A Criticis ævi superioris ad recentioris ævi Criticos pergat nunc oratio. At illis placuisse multo magis quam his nostra fabula videtur. E qua plures, ni fallor, glossematicas voces Hesychius delibavit quam ex ulla alia superstitem Euripidis fabularum. Eadem tamen adeo nostræ Criticis ætatis negligenter† est habita, ut vix exstaret unus atque alter, quibus curæ fuit, Euripidis licet studiosis, ut Euripidis hocce drama legeretur emendatius. Quæ res si aliter evenisset, si Critici recentiores (Criticis ævi superioris in hac parte secuti) curam Troasin impendissent eandem ac cæteris fabulis Euripideis, viam longe diversam in textu constituendo iniissem. Nunc autem lectionem edidi non illam quidem, quam ipse judicabam esse optimam, sed eam profecto quæ lectoris animum arripere debet verborum propter constructionisve novitatem. Hanc tamen legem ipse transgressus sum ubi vel MSS. vel conjectura melius quid subministrant: conjectura inquam; in tanta enim Codicum inopia fuit sæpissime conjectandum. Quod si quis me forte roget, cur conjecturas in textum admiserim, respondebo, quia nullam causam video, cur major honos inscitiae tenebris quam doctrinae luci tribuatur: his adjungo,

* Peccatum est ad 1042. Analogia postulat διοῦτρας. Vitiosa Codicis scriptura fraudi fuit Hesychio.

† Duo loca ex hac fabula desumpta Criticis per errorem, quem miramur, ad alias fabulas referuntur. Wakefieldus 432. tribuit Rheso, et 1168. tribuit Hecubæ Vauvillier. ad Soph. Electr. 57.

‡ Servatus est liber MS. in Museo Britannico, 3521. Plut. $\frac{I}{VI}$ C. qui continet, si fides sit Francisco Junio, Castigationes Josephi Scaligeri in Euripidem ex margine editionis Plantinianæ descriptas. At profecto castigationes non sunt Scaligeri verum Duporti, quarum maxima pars in Notis Barnesianis dudum evulgata est.